



Cvrsvs Philosophicvs

Arriaga, Rodrigo de

Antverpiæ, 1632

Sect. II. Ens rationis excluditur ab objecto Logicæ.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95614](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95614)

albedinem: potest autem contingere, ut respectu vniuersalis actus, vna res sit obiectum formale, materiale verò respectu alterius. Suprà etiam ostendi, cognitionem Logicam non dicere, *genus est res cognita conceptu confuso*, hinc enim ponitur in recto res, sed *cognitio generica est representatio confusa plurium dissimilium*, &c. Hæc cognitio non tangit res in recto, & formaliter, sed in obliquo.

Urgebis secundo: Logica tradit regulas de materia probabili; ergo res formaliter pertinent ad Logicam. O qualis consequentia! Numquid probabilitas est in rebus ipsis, an in solâ cognitione? ergo Logica, non quia agat de probabilitate, agit de rebus, sed potius de cognitione probabili. Quod si aliquando videtur agere de connexionione essentiali, aut contingente, tenente se ex parte obiecti, tunc eodem modo dicendum est, eam non agere nisi de actibus representantibus eam connexionem, aut contingentiam: quod in simili suprà dixi de illâ cognitione, *definitio conuertitur cum suo definito*, & de genere, & de specie, &c.

12. Tercio: Hoc complexum definiti, diuisi, &c. est considerabile per se, & pertinet ad aliquam scientiam, non ad aliam, quam ad Logicam; ergo ad illam. Respondeo Primò, non omnia, quæ de facto possunt cognosci, pertinere ad aliquam scientiam: dicant enim mihi ipsi, ad quam scientiam pertineat hoc complexum, *odio habitum vel visum*, &c. Secundo dico, ex hac obiectione à me erui nostræ sententiæ confirmationem manifestam; quia in hoc complexo est res ipsa definita secundum se: hæc (per te) non consideratur à Logicâ, sed definitio ipsa; quam fateor tibi ad Logicam pertinere formaliter. Sed tum insuper postea inuestigandum, in quo consistat ea denominatio, an sit extrinseca, an intrinseca; an fiat per productionem, aut resultantiam alicuius relationis realis, vel rationis. Hæc autem omnia sunt extra considerationem Logicam in omnium sententiâ: neque enim Logica considerat, quid sit denominatio extrinseca, quid intrinseca, & similia, id enim ad Metaphysicum spectat. Vnde Logica solum considerat definitionem rei, siue ex eâ resultet obiectum dici definitum, siue non. Vnde si per impossibile ea denominatio non resultaret, in obiecto eodem modo illa ageret de definitione illius; ergo ad eam non spectat disquirere, in quo consistat ea denominatio. Nihil autem aliud est in eo complexo *definitum* considerabile, ut per se patet; ergo illud, ut tale, non pertinet ad Logicam, nisi quâ parte includit definitionem, modo à nobis explicato.

13. Dicendum ergo, omnibus ablatis confusionibus, & terminis modisque loquendi, à Logicâ solum in recto formaliter & immediatè considerari actus intellectus; res autem in obliquo, & ut obiectum materiale, seu tamquam terminum extrinsecum earum cognitionum: & nec quidem ut sic distinctè agi de rebus in particulari, sed solum in communi sub conceptu generalissimo rei, etiam prout abstrahit à re fictâ, à negatiuâ, & positiuâ; quod ex dictis satis clarè constat, estque communis antiquorum sensus, etiam si nonnulli recentiores terminis abutentes contrarium doceant.

Vniuersaliter autem moneo, Prædicamenta, & Prædicabilia, ut sunt obiecta Logicæ, supponi

pro actibus, quibus cognoscuntur & prædicantur, non pro ipsis naturis rerum quæ prædicantur: & hinc ortum traxit commune proloquium, scilicet, *vniversale Logicum esse vniversale in prædicando*, *Metaphysicum verò in essendo*: quia Metaphysica agit de ipsis rebus, Logica verò de modo eas cognoscendi & prædicandi inter se, non verò de rebus ipsis prædicatis. immò etiam si hæc habeant aptitudinem ut prædicentur, de illâ tamen non agit per se Logica, sed in obliquo.

SECTIO II.

Ens rationis excluditur ab obiecto Logica.

ENS rationis accipi potest vel pro actuali intellectione, seu cognitione. Cum enim intellectus soleat vocari communiter *ratio*, meritò eius actus dicuntur *entia rationis*, id est, entia intellectus. Secundo potest accipi pro re non habente esse à parte rei, sed quæ fingitur habere ab intellectu: ut si ego conciperem calum aureum, & lunam argentæam, calum aureum & luna argentæa essent entia rationis; quia cum verè non habeant esse à parte rei, habent illud ex fitione mei intellectus: quâ ratione omnia mendacia possunt quodammodo dici entia rationis. Item, quando intellectus tenebras, mortem, cecitatem, & alias negationes & priuationes concipit perinde ac si verè essent entia realia, fingit entia rationis, quia tribuit esse eis rebus, quæ potius sunt carentia esse. Hæc entia conficta sunt, quæ iam communius vocantur inter recentiores *entia rationis*; & de his præsens disputatio instituitur.

De entibus enim rationis, prout in primâ acceptione significant actus intellectus, nulla est difficultas, quin sint obiectum formale Logicæ. Nec etiam disputamus, vtrum entia rationis sint obiectum materiale Logicæ, hoc enim certum est ex Sectione præcedenti: quia cum entia rationis definiri, diuidi, & demonstrari queant, (ob quam solam rationem diximus, entia realia esse obiectum materiale Logicæ) idem etiam dicendum videtur de entibus rationis fictis, & suprà etiam dixi, quando de definitione dicitur, *est oratio explicans naturam rei*, rem ibi accipi pro re siue verâ siue falsâ, siue negatiuâ siue priuatiuâ, siue fictâ siue reali: inquirimus ergo præcisè de ente rationis, an sit obiectum formale Logicæ, nec ne.

Sotus, Tolerus, & Thomistæ communiter a- 15
pud P. Hurtadum Disputat. I. §. 45. censent, adæquatum Logicæ obiectum esse ens rationis, non quidem in totâ suâ latitudine (neque enim tenebræ, cecitas, aliæque negationes, & Chimæræ, quæ sunt entia rationis ab intellectu conficta, considerantur à Logicâ,) sed tantum ea entia rationis, quæ resultant in rebus, eò quòd ab intellectu definiantur, diuidantur, &c.

Ibidem idem Hurtadus benè ostendit, Tolerum, Sotum, & alios communiter, nomine *entia rationis* intelligere non quidem ens fictum, sed denominationes definiti, diuisi, generis, speciei, & similes, quæ sunt extrinsecæ rebus; proueniunt enim illis à formis extrinsecis, id est ab actibus intellectus, & vocari solent *secundæ intentiones*.

intentiones, quia prius est rem in se esse, quam denominari cognitam: & has denominationes dicunt hi esse Logicæ obiectum; neque illis in mentem unquam venit, rigorosa entia rationis & ficta adtribuere pro obiecto Logica. Vnde miror, à nonnullis recentioribus Toletum citari pro sententia de ente rationis ficto, quam ipsi fingunt; quæstione enim 5. proximali clariùs hac in re loquitur, quàm vt de eius mente dubitari queat.

Sed ad rem veniamus. Opinantur nonnulli recentiores, denominationem definiti (idem est de aliis proximè numeratis) esse ens rationis, quia cum ex definitione nihil reale ponatur in re definita, si denominatur definita, id sanè erit ex eo, quòd intellectus confingat in illà formam aliquam extrinsecam, à quâ definita dicatur, quæ forma necessariò est ens rationis. Auctoritate verò probant suam sententiam, Primò ex Aristotele 4. Metaphysica, text. 5. afficiente Logicam agere de omni ente vt subest secundis intentionibus, ergo vt est ens rationis. Item ex D. Thomà sect. 5. docente, obiectum Logica esse ens rationis quod non est in rerum naturâ; sed ratio in rebus inuenit; ergo sentit, ens fictum esse Logicæ obiectum.

16 Non placet hæc sententia, ideoque excludendum est ens rationis ab obiecto Logica. Primò, quia, vt constat ex huc vsque dictis, obiectum Logica est modus sciendi: sed modus sciendi est ens reale; ergo obiectum Logica est ens reale. Probo Minorem, Modus sciendi sunt actus ipsi intellectus; sed hi sunt ens reale, ergo, &c. Explicatur vterius in particulari. Definitio, diuilio, argumentatio, termini, propositiones, &c. sunt entia realia, actus scilicet intellectus, explicantes diuidentisque naturas rerum, vnumque ex alio inferentes (quis enim neget hos esse actus reales)? Vnde miror, potuisse aliquos asserere, adæquatam Logicæ obiectum esse ens rationis: quia licet illis daremus, denominationes definiti, diuili, & similes, esse entia rationis, & considerari à Logica; quomodo negare possunt, definitionem, diuisionem, & argumentationem, quæ sunt entia realia, (vt ipsi, velint nolint, fateri debent) esse saltem partiale obiectum Logica? Sed age iam ostendamus, nec denominationes illas esse ens rationis: quia rem dici esse visam, amatam, & cognitâ, est, licet extrinseca, vera tamen & realis denominatio, proueniens ab actibus visionis, amoris, & cognitionis: & sicut me videre parietem, non est quid fictitium, ita nec parietem à me videri, idem enim est penes diuersas voces, actiuam & passiuam: ergo & parietem dici visum, non erit ens fictitium; aliàs Deus confingeret entia rationis, dum cognoscit me ab illo amari vel cognosci, imò bruta etiâ ea fingent, quia bruta reddunt etiâ obiecta visa, audita, cognita, &c. Quæ omnia apertè falsa sunt, & contra Doctores quibuscum pugnamus.

17 Rem ergo esse definitam aut diuisam, esse genus aut speciem, est denominatio extrinseca realis, proueniens à formâ reali extrinsecâ, scilicet ab actu intellectus.

Sed licet daremus, has denominationes esse entia rationis, adhuc nihil inferretur contra nos; quia Logica non considerat per se has denominationes, sed actus ex quibus oriuntur, iuxta dicta

num. 12. Ratio est, quia hæ denominationes non illi seruiunt ad modum sciendi: si enim semel cognoscit definitionem rei, licet non cognoscat (per possibile vel impossibile) inde resultare denominationem rebus ipsis *cognita vel definita*, adhuc Logica obtinuit suum finem, qui est, tradere modum definiendi, diuidendi res, & argumentandi de illis.

Vbi aduerte, quàm inconsequenter nonnulli recentiores discurrant. Cum enim hæc ratio in præsentii illis placuisset, ex eaque contra entia rationis argumententur; suprà tamen, vt probarent res esse obiectum formale Logica, argumentantur ex eo quòd Logica per se cogitat de eo complexo *definitum, diuisum*, &c. in quo consistat. Vnde ego contra illos arguo, Ergo si in eâ denominatione vel complexo includitur ens rationis, Logica ager de ente rationis, quod tamen hic negant.

Dices Primò: Logica considerat has denominationes vt formam intrinsecam rerum; ergo facit ens rationis. Nego antecedens: quia si (vt proximè dixi) ipsas denominationes reales solum indirectè seu inadæquatè considerat Logica, quatenus definitiones considerat, multò minùs eas considerabit vt formam intrinsecam: imò hoc vltimum nullo modo considerat, quia ad nihil ei potest deferuire cognitio hæc falsa & fingens eam formam intrinsecam, quandoquidem Logica agit de modo sciendi, qui debet esse verus & realis. Numquid melius, clariùs, aut faciliùs tradet Logica regulas bonæ definitionis, si consideret denominationem definiti esse in obiecto, seu re definitâ, aliquid intrinsecè inhærens, eamque perficiens, quàm si consideret esse quid purè extrinsecum? Certè nisi ad confundenda sua præcepta, & Logicorum ingenia, non video eam considerationem de ente ficto & denominatione intrinsecâ deferuire posse.

Dices Secundò: Apertè probari hoc argumento, has denominationes non esse entia rationis; verum non probari, genus & speciem, si fiant per abstractionem, non esse entia rationis: quia concipere aliquam naturam abstractam à speciebus vel indiuiduis, apertè est fingere entia rationis, quia à parte rei non datur talis natura abstracta; sed Logica agit de hac abstractione, & de genere, & specie, ergo Logica, saltem quoad hanc partem, agit de entibus rationis. Hoc argumento conuincuntur nonnulli recentiores, ad asserendum, obiectum Logica constare ex ente reali, & rationis. Sed in primis argumentum 19 non habet vim contra asserentes, vniuersale non fieri per abstractionem, sed per actus confusos & imperfectos indiuiduorum; in quâ sententiâ nihil fingitur ad efficiendum vniuersale, vt dicam Disput. vi. sect. i. ergo & nos, qui eam sententiam secuturi sumus, hoc argumento non premimur. Sed neque huius argumenti auctores premuntur; quia nobiscum aliàs benè docent, genus & species, &c. sine vllâ abstractione fieri: quo modo ergo illo mouentur ad ponenda entia aliqua rationis inter obiecta formalia Logica?

Addo tandem, neque premi, qui ad vniuersalia fictionem intellectus requirunt. Ratio est, quia Logica per se non considerat naturas abstractas & fictas, sed actus quibus abstrahuntur vel finguntur; in his enim actibus consistit modus sciendi.

sciendi. Licet autem hi actus effingant entia rationis, ipsi tamen sunt entia realia; unde semper obiectum formale Logica est ens reale, licet obiectum materiale possit esse ens rationis: sicut etiam, licet Logica tradat regulas etiam pro definiendo ente rationis, non habet illud pro obiecto formali, sed definitionem illius, ut ipsimet recentiores negantes, res esse obiectum formale Logicae, tenentur docere.

Ad argumenta opposita respondetur. Ad Aristotelem, nequaquam ipsum meminisse eo in loco entium rationis. nam dicere, *omnia entia, ut subsunt secundis intentionibus, esse Logica obiectum*, nihil aliud est, quam dicere, res ut definitas, diuinas, &c. per actus intellectus, qui sunt secundae intentionis, esse obiectum Logicae; in quo potius nobis fauet, quam aduersariis. Difficilius loquitur D. Thomas, nihilominus tamen a nobis stat: quia dum docet, *obiectum Logicae esse ens rationis*, loquitur aperte de actibus intellectus, quem vocat *rationem*; ac proinde eius actus, *actus rationis*, ut dixi num. 14. vocari a pluribus. Quod si doceat, hoc ens rationis non esse in rebus, sed inueniri ab intellectu; non ideo sentit esse ens rationis fictum, sed productum ab intellectu, cuiusmodi sunt omnes actus intellectus, qui etiam si producantur ab intellectu, sunt tamen entia realia. Vide P. Huradum a §. 53. vbi probat, D. Thomam & Aristotelem a nobis stare. Sed neque adhuc tota lis dirempta est.

Nonnulli enim recentiores, etiam si nobiscum conueniant, Logicae obiectum esse definitionem, diuisionem, &c. quae sunt entia realia; ne tamen ens rationis omnino priuaretur possessione & iure, quod in Logicam videbatur acquisiuisse ex aliquorum Thomistarum consensu, dixere, negari non posse, pariale obiectum Logicae esse ens rationis, scilicet, definitionem, vel diuisionem fictam; & in vniuersum omne ens rationis oppositum ei enti reali, quod nos ponimus pro obiecto Logicae, illi dicunt etiam ad Logicam pertinere formaliter.

21 Mouentur autem ad hoc Primò, Quia contrariorum eadem est disciplina; ergo Logica agens de definitione reali, debet & agere de ficta, quae reali opponitur.

Confirmatur: ideo Metaphysica agit de ente rationis ut sic, quia agit de ente reali ut sic, cui ens rationis ut sic opponitur. Similiter Theologia; quia agit de virtutibus, agit etiam de vitiis illis oppositis. Eodem ergo modo Logica habebit etiam pro obiecto formali definitionem bonam, & veram. Item & definitionem fictam, quae est ens rationis. Secundò idem probant, quia cognitio de definitione ficta ad aliquam scientiam pertinet, ut per se est notum; non ad Metaphysicam, quia haec non agit de particularibus differentiis entis rationis; ergo ad Logicam, quia nulla alia scientia est ad quam possit pertinere.

Haec est summa nouissima huius sententiae, quam reputo omnino falsam & non satis congruentem principiis horum Auctorum. Non congruentem; quia ipsi (& merito) negant, obiectum Philosophiae, aut scientiae de caelo, esse ens vltimum rationis. Ibi autem omnia ipsorum argumenta infringuntur: si enim, quia definitio ficta opponitur definitioni reali, utraque pertinet ad eandem scientiam, ergo quia *equus fictus*, vel

animal fictum, vel *caelum fictum* opponitur reali, ad eandem prorsus scientiam debent caelum fictum & reale pertinere. Idem est de Physica, 22 idem de omnibus aliis scientiis, quod tamen a te negatur. Idem etiam è secundo ipsorum argumento deducitur; quia cognitio de *ficto caelo* pertinet ad aliquam scientiam, sicut definitio ficta; non ad Metaphysicam, ergo ad scientiam de caelo. Vide ergo quā consequentiā vtrumque doceas, vel an debeas dicere, omnes scientias, Medicinam v.g. agere de medicamentis fictis per intellectum, & de entibus rationis. quid enim hoc ad Medicum?

Respondeo ergo primò ad argumentum, obiectum Logicae per se intentum esse definitionem, non quidem realem vtrumque, sed bonam: huic autem opponi non definitionem fictam, sed definitionem malam, & hoc esse extremum oppositum, de quo Logica tractat, ut videtur, & fiat loco illius bona definitio. Sicut in Theologia agitur de virtutibus: quid est, rogo, quod virtuti opponitur? virtus ficta ab intellectu? certe non, sed actus mali & peccaminosi, qui sunt a parte rei vera & realia entia, & virtutibus opposita. Similiter factor intendit bonas vestes facere; his non opponuntur entia, aut vestes rationis, sed vestes reales male, vel nimium longae, aut nimium breues, laxae, aut strictae, sine correspondentiā, proportionē, pulchritudine factae, &c. Contraria autem, quae ad eandem scientiam pertinent, vel attem, sunt haec entia realia assignata; in quo valde errant recentiores confundentes contraria realia cum contrariis per rationem, seu fictis, quae propriè contraria non sunt. Ratio autem huius a priori manifestissima est, quia Logica v.g. dum intendit bonam definitionem, ideo agit de contraria seu de malā definitione, ut haec praecaveatur & vitetur, sciaturque intellectus quid debeat fugere, quid amplecti. At dum ego volo facere definitionem de homine, non est periculum errandi, faciendo definitionem rationis; quia definitio rationis, siue ficta, nihil est, & consequenter nec est actus intellectus: est autem periculum ne producam vnum actum realem intellectus, qui sit mala definitio, quā dicam v.g. *homo est rationalis, discursiuus, vel homo est animal humile*, vbi error est in ipsis actibus realibus, non in obiecto illorum, etiam si hoc sit fictum: nec est periculum, ne recens factorculi faciat vestem rationis; est autem valde probabile, illum facturum vestem realem, sed malam, & malè confutam. Haec solā egerit explicatio.

Ad instantiam è Metaphysica respondeo, ibi quidem habere locum argumentum praecedens (cum enim Metaphysica agit de ente ut sic, eique nihil opponatur nisi ens fictum, debuit etiam agere de ficto, seu rationis) at Logica non intendit per se definitionem ut sic, sed definitionem bonam; huic autem sola definitio mala opponitur. Adde, Metaphysicam esse scientiam, quae non habet pro scopo directionem, sed speculationem; ideo potest versari circa ens fictum; Logica autem praecise intendit dirigere intellectum ad bene discurrendum, definiendum, &c. ad hoc autem parum vel nihil conducit consideratio definitionis fictae; quia non est periculum in ea errandi, bene tamen in reali, sed malā; ideoque debet cauere definitiones reales, sed malas.

Ad

24 Ad secundum argumentum respondeo: sicut non pertinet ad Medicinam & alias scientias, ens rationis medicinale, vel Physicum; ita nec ad Logicam, ens rationis Logicum. Ad quam ergo pertinebit? Quas tu pro ente rationis Medico vel Physico, & eadem viâ inuenies pro Logico. Ego dico, talem cognitionem nec ad Logicam secundum se pertinere, nec ad Metaphysicam secundum se; sed ex utriusque principis ab intellectu postea fieri eam cognitionem ferè Metaphysicam. Cum primum enim Metaphysica dicit, *omne ens rationis est, quod non habet esse in se, sed cognoscitur ac si haberet*, & Logica dicit, *definitio est oratio explicans naturam rei*, intellectus infert, ergo definitio rationis seu facta, erit oratio facta, siueque explicans naturam rei; nec necessarius est maior discursus aut scientia noua, ad quam hæc tertia cognitio pertineat per se. Idem est in ente Physico facta, & in omnibus aliis scientiis. Quod si nimium vigeas, vt scientiam aliquam istis cognitionibus attribuamus, ne vagentur extra ædes, & sub loue frigido pernoctare cogantur; dic eas in magno Metaphysicæ palatio vnum habere cubicellum. Cum enim Metaphysica agat de ente rationis vt sic, debet etiam 15 omnes eius differentias aliquo modo complecti sub se, quando tales sunt vt solæ non sufficiant nouæ scientiæ construende: quo distinguuntur differentie realis entis à differentiis entis rationis; quia hæc parum vel nihil habent quod in eis cognoscatur, cognitâ iam essentia entis rationis in communi (vt ostendi supra) illæ verò habent proprietates, passionem, essentias, & alia valde diuersa ab ente vt sic, ratione cuius distinctas à Metaphysicâ scientias merito sibi arrogant, & per se possunt propriam scientiam & domum sibi procurare. Sed hæc sufficiant de his quæ verè nugæ videntur, oportuit tamen eas explicare.

SECTIO III.

Nec voces sunt obiectum formale
Logica.

COMMVNITER Doctores tribuunt Nominibus sententiam, asserentem solas voces esse Logicæ obiectum: à quâ impositione eos vindicat Hurtadus §. 22. ostendens, eos nomine *vocum* conceptus mentis, seu mentis voces intellexisse. Vnde ex antiquioribus fortè nullus eam sententiam defendit, vt ibidem ostendit idem Hurtadus. Recentiores tamen nonnulli eam acriter tuerentur, asserentes, voces externas esse partiale Logicæ obiectum, & minùs principale. Quam sententiam hæc vnica ratione confirmant: si quis immemor definitionis mentalis, eliciat cognitionem definitionis vocalis, quâ dicat, *definitio vocalis est oratio vocalis vocaliter manifestans naturam rei per genus & differentiam*, hæc cognitio habet pro obiecto formali *voces*, neque potest pertinere ad aliam scientiam nisi ad Logicam; ergo Logica habet pro obiecto formali *voces*. Pro- 26 batur Minor: Nam si ad aliquam scientiam pertineret, maximè ad Grammaticam, vel Rhetoricam. Non ad Grammaticam, quia hæc solum docet emendatè loqui: nec ad Rhetoricam, quæ solum curat ornate & appositè loqui ad mouen-

dos affectus; ergo pertinet ad Logicam, quia non est alia ad quam pertineat. Et hinc inferunt, Logicam futuram mancā sine cognitione vocum.

Tenenda tamen est opposita sententia cum Hurtado supra, & recentioribus communiter. Ante cuius probationem oportet euertere fundamentum oppositum, quod duo videtur supponere: alterum, cognitionem, de quâ proximè, esse cognitionem vocum; alterum, eam ad Logicam pertinere, eò quòd non pertineat ad aliam scientiam. Huic aliqui respondent, concedendo eam cognitionem non pertinere ad aliam scientiam; negant tamen pertinere ad Logicam: neque enim (inquiunt) omnes cognitiones, quæ de facto sunt, debent pertinere ad aliquam scientiam. Hæc solutio satis sufficiens videbatur: quia cum aduersarij nullo positiuo argumento ostendant, eam cognitionem pertinere ad Logicam, nisi quia non pertinet ad aliam scientiam, si necessarium non est vt omnes cognitiones propriam habeant scientiam, quod experientiâ facile posset probari. Sufficenter eueritur oppositum argumentum eâ solutione: nec magis pro libitu inuenta videtur solutio hæc, quàm argumentum. Nihilominus tamen, ne censeant aduersarij redactos nos esse ad angustias,

Respondeo aliter, negando scilicet, eam cognitionem non pertinere ad Grammaticam. Sed antequam id ostendam, fateor me non intelligere, quid addatur roboris argumento, eò quòd sim immemor definitionis mentalis, quando elicio cognitionem de vocali, vt propterea cognitio illa ad solas voces terminetur: etenim etiam dum recordor definitionis mentalis, possum elicere cognitionem vocalis, nempe, *definitio vocalis est oratio vocalis explicans vocaliter naturam rei*. Quòd si, quando sum memor definitionis mentalis, illa cognitio vocum pertinet ad habitum qui terminatur ad mentalem, etiam pertinebit, etsi oblitus sim mentalis. Neque enim, quia actu 27 non sum memor definitionis mentalis, propterea habitus de illâ non est in meo intellectu, aut propterea est habitus ille impotens ad eliciendum aliquem actum. Quoties enim vnus idemque habitus naturalis elicit vnum actum ex illis ad quos inclinat, non tamen alios ad quos etiam est in actu primo inclinatio? Sed addo, me non posse cognoscere definitionem vocalem sine cognitione mentalis, vt dicam num. 28. & 29.

Ergo vel nihil ferè interest, quòd sim vel non sim memor definitionis mentalis, dum elicio cognitionem de vocali; vel supponis id quod repugnat. In quocumque verò calu illam cognitionem pertinere ad Grammaticam, sic probò: Quia Grammatica tenetur dare voces, quibus exterius explicemus nostros conceptus, & res per illos conceptas. Item & ad Grammaticam spectat, cognoscere reflexè, an voces illæ benè vel malè, eodem an diuerso modo explicant res, ac à nobis concipiuntur: v. g. si ego volo explicare mortem Petri, Grammatica incumbit dare voces significantes mortem Petri, & ita eas disponere, vt eam mortem explicant: ergo quando ego cognosco definitionem vocalem eam esse, quæ explicat vocaliter naturam hominis, ea cognitio est Grammaticalis; quia & cognoscere eam esse orationem vocalem, Grammaticum est. agit enim Grammaticus de orationibus vocalibus, & cogno-